



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

**LXXIV.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

ticis omnis populus ei occurrere debeat. Qui sepultus est vbi supra, sub die 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus anno 1. mens. 7. diebus 18.

## LXXIII.

**S**EVERINVS, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit mensibus 2. diebus 4. Huius temporibus, cum tantum esset electus, nondum autem ordinatus, deuastatum est Episcopium Lateranense à Mauritio chartulario, & Hisatio patritio Exarcho Italiæ, qui aduersus Ecclesiam DEI inito consilio concitauerunt exercitum Romanum, dicentes. Quid prodest, quod tantæ pecuniæ congregatae sint in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & militibus nihil exinde subuenitur, quando & rogæ vestræ, quas Dominus Imperator vobis per vices mandauit, ibi sunt à sancto viro reconditæ? His auditis omnes armati à puerō vsq; ad senem venerunt ad prædictam Ecclesiam, quam tamen irrumperem non potuerunt, resistētibus his, qui cum sanctissimo Seuerino aderant. Vnde Mauritius, quod vi non potuit, dolo fecit ingressus vestiarium Lateranensis Episcopii, & sigillauit omnia, quæ Christianorum pietas pro redēptione animarum suarum sancto Petro reliquerat. Misitque postmodum Rauennam epistolas ad Hisatium patritum, qui illi-cò Romam veniens omnes primates Ecclesiæ in exilium deportari iussit, ne esset qui impediretur suis negotiis. Deinde post dies aliquantos ingressus Lateranense Episcopiū per dies 8. deprædatus est illud, partemq; maximam direxit Constantinopolim Heraclio Imperatori, & sic ordinatus est sanctissimus Seuerinus. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 4. non. Augst. Et cessauit Episcopatus menses 4. diebus 29.

## LXXIV.

**I**OANNES, natione Dalmata, ex patre Venantio Scholaftico, sedit anno 1. mensibus 9. diebus 19. Hic misit multas pecunias per omnem Dalmatiam seu Histriam per sanctissimum & fidelissimum Martinum Abbatem propter redēptionem captiuorum, qui à gentibus deprædati fuerant. Sepultusq; est ad B. Petrum Apostolum sub die Id. Octob. Et cessauit Episcopatus mēse 1. dieb. 10.

## LXXV.

**T**HEODORVS, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de ciuitate Hierosolyma, sedit annis 6. mensibus 5. diebus

T 2

18. Huius